

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Wersja sandomierska

Rękopis Archiwum Archidiecezjalnego w Gnieźnie, sygn. 104, k. 97v–98

Odczyt: Maciej Mikuła, *Prawo miejskie magdeburskie (Ius municipale Magdeburgense) w Polsce XIV – pocz. XVI w. Studium o ewolucji i adaptacji prawa*, Kraków 2018, s. 330–331

Artykuł 51

[51] De qualibet querimonia et testimonio, quod ad iudicium pervenerit.

LI· Omnis querimonia et testimonia, que cum criminosis violenciis cum clamore ad iudicium, in facto manifesto deprehense et deducte fuerint, virum metseptimum [s] protestare oportet circa ius pacis, exceptis vulneribus, que monomachalia non fuerint. Manifestum [/] factum ibi esse dicitur, ubi vir captivatur cum furtu aut spolio, deprehensus ducitur ad iudicium cum clamore. Insuper eciam manifestum factum ibi esse dicitur, ubi viro cutellus aut gladius, aut alia sica in sua manu deprehensa fuerit, cum qua pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivus ad iudicium cum clamore ductus fuerit. Hunc actor metseptimus vincere debet circa ius pacis. Et si factum manifestum cum viro ad iudicium deductum fuerit, stuprum et obsidium, et irruenciam domicilii, homicidium, furtum, spo/k. 98/]lium, probat homo protestando metseptimus. Si vir de istis conqueritur, extunc sua querimonia sic debet procedere: “Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod hic homo iste venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit corpore et rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt, et ostendere volo factum, ut de iure teneo aut debeo, et requiro in sentencia diffinitiva, quomodo ipsum vincere debeam, ut michi proficiat in iure meo”. Extunc ille petit [s] satisdacionem, [/] si vult, quam sibi facere oportet, et dicat se de facto esse innocentem. Tunc tutor mulieris interroget in sentencia diffinitiva, si mulier violenciam melius protestare poterit cum hiis, qui clamorem suum audierunt, quam ille possit evadere, cum ad iudicium sit deductus. Tunc diffinitur iure, quod possit ipsum possibilius vincere cum hiis, qui suum clamorem audierunt, quam evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demeretur. Idem vero iudicium super irruenciam domicilii iudicatur.

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, gorący uczynek, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność, uwolnienie od skargi, kara śmierci, prawo]